

2. Hujus autem respectu oratio perspicua, aut obscura dicitur. *Perspicua est cujus sensus primâ fronte, aut primò intuitu audienti aut legenti patet. Obscura verò, cujus sensus primâ fronte, aut primò intuitu audienti aut legenti latet.* Dicimus autem *primâ fronte, aut primò intuitu, & audienti aut legenti,* ut utramque orationum, tam vivâ voce prolatarum, quàm scripto expressarum, differentiam complecteremur, *primâ fronte* ad audientem, & *primò intuitu* ad legentem referendò.

3. Ex his autem definitionibus manifestum evadit, tam perspicuitatem, quàm obscuritatem respicere Auditoris, Lectorisve intellectum; adeoque totam utriusque naturam consistere in relatione ad aliud. Quod idem insuper ex eò confirmatur, quòd sæpissimè accidat orationem, quæ uni obscura est, alteri esse perspicuam, & contrà, quæ uni perspicua est, alteri esse obscuram; quod in absolutis locum habere nequit. Unde gravis est illorum Theologorum error, qui, non ut de Relatis, sed tanquam de rebus Absolutis loquuntur, quando de S. Scripturæ perspicuitate atque obscuritate disputant, illasque ad Solem ejusque lucem comparatione explicant. Sic enim magnus inter Reformatos Theologus, *Perspicuitas Scripturæ est proprietas, quæ in ipsâ Scripturâ est, & quam semper retinet, sive homo illuminatus, sive non illuminatus sit; quamvis non illuminatus istam perspicuitatem non videat: Simili modò, quò Sol in se ipsò clarus est ac manet, sive homo oculos aperiat sive claudat; sive videat, sive cæcus sit; ista enim in homine varietas ipsum Solem nec clarum nec obscurum reddere potest.* Et ut nihil interest (sunt verba alterius eximii inter Reformatos Theologi) *ad Solis lucem, quis sit oculus: quia quicumque ille tandem sit: tamen Solem videre non potest, nisi per ejusdem Solis lucem, & ideo semper Sol lucidus est, quamdiu perceptâ ejus luce videtur, nec aliter videtur: sic perspicua erit Scriptura, quia sive magis, sive minus acuta ingenia Scripturas ex Scripturis intelligunt: quæcunque tandem mensura sit, gradusve intelligentiæ.*

4. Sensus porrò unius ejusdemque orationis, ob causas varias multiplicisque mox dicendas atque enumerandas, varius esse ac multiplex, multifariamque dispesci potest. Aptissima commodissimaque quod rem præsentem attinet, divisio est, quod sit vel *simpliciter sic dictus, quem verba præ se ferunt, vel verus, quem intendit Author.* Hos autem sensus in orationibus occurrere, ex eò apertum est, quòd non illicò is, quem vocabula sententiæ, prout communiter & vulgò sonant, præ se ferunt, sensus sit, quem dum interpretandæ mentis gratiâ ista vocabula exarabat aut pronunciabat in animò habuit Author. Sic, ut unò alteròve Scripturæ exemplò rem ostendam, cum legitur *brachium Dei, digitus Dei; & cum Christus ait, hoc est corpus meum, ego sum via veritas, & vita;* nemo nescit, quid ista vocabula

im